



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XXXVI. De interpretatione, cessatione, & mutatiene legis  
humanæ. ad q. 103.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](#)

### Tractatus VIII. Disp. XXXVI. Art. I. §. I.

330

bis agi oporteat: ergo subjicitur jurisdictione & legibus illius loci. Tertio. Sequeretur, peregrinos esse omnino exleges, non enim obligantur proprii territorii legibus, ut ante dictum, nec legibus illius ad quod veniunt: ergo nullis: atqui hoc est contra rectam gubernationem. Quartò. Qui sentit commodum, debet etiam sentire onus, sed peregrini sentiunt commodum, in quantum sunt soluti propriis legibus: ergo etiam debent sentire onus, ut sint ligati legibus alienis. Quintò. Advenas tenentur se conformare consuetudini & legibus loci in celebrandis contraria: ergo & in ceteris.

Respondeo ad 1. Ibidem contineri consilium, non praeceptum; vel esse accipienda verba in casu scandali, quod sapponere videtur Ambrosius, vel certe si commoratio fiat per notabilem partem anni. Ad 2. Resp. Ratione delicti a peregrino acquiri forum: at nos loquimur extra catum delicti. Ad 3. nego sequelam: nam in primis obligatur legibus generalibus, & communibus sua patriæ, secundò etiam particularibus & municipalibus, quando speciale reipub. utilitatem, & pacificam exterorum cum incolis communicationem concernunt, e. g. ut solvant viginalia, frumentum non extrahant, &c. tunc enim magistratus sub hac conditione peregrinis transiit videtur concedere, ut & ipsi leges pro boni communis conservatione introductas ob-

servent. Ad 4. Resp. Illi axiomati locum esse, quando onus habet quandam connexionem cum commodo, sicut beneficiarius merito sentit onus obligationis ad recitandas horas Canonicas, quia etiam sentit commodum beneficii; non autem cum onus & commodum sunt disparata, ut hic contingit. Ad. 5. Resp. quod etiam per contrarium peregrinus fortius forum in loco, in quo contrahit, ideoque legibus loci subjicitur, sicut dñs ff. de evit.

Dubium est secundò. An vagi, hoc est, qui nullibi certa sedem, & domicilium habent, tenentur legibus illius loci, ad quem venient? Respondeo. Quamvis Lessius l. 4. de Just. c. 2. dub. 7. n. 49. Jo. Sanch. Sairus, Layman tr. 4. c. 12. n. 6. ea, quæ de peregrinis diximus, probabilius extendant etiam ad vagos, communiter & probabilior est sententia, vagos a peregrinis distinguunt, & legibus locorum ad qua deveniunt, subiectum; cùm enim sit recte gubernationi dissentaneum, ut aliquis nulla legibus particularibus sit adstrictus, ipse alibi nullum habeat fixum domicilium, id est sola praesentanea habitatione sibi domicilium comparante, ratione cuius præsentis loci legibus subiectiuntur: quod etiam communis consueto comprobatur, quæ vagi puniri solent in loco, ubi comprehenduntur, etiam ratione delicti in alio territorio commissi.

## DISPUTATIO XXXVI.

DE

### Interpretatione, cessatione, & mutatione legis humanæ. ad q. 103.

**H**AENUS vigorem legis inspeximus; nunc quibus modis temperari, aut omnino enervari & cessare possit, inquirimus: Legis quippe vigor & obligatio vel cessat universum, vel pro casu particulari. Universim cessat vel per cessationem causa finalis, vel per legis abrogationem, quæ rursus fit vel ab ipso Legislatore, vel à contraria consuetudine. Pro casu vero particulari vigor legis infringitur aut temperatur partim interpretatione & epiikia, partim dispensatione. Nunc de singulis.

### ARTICULUS I.

#### De cessatione & abrogatione legis.

##### SUMMARIA.

1. *Leges humanæ mutabiles.*
  2. *Finis legis alius extrinsecus, alius intrinsecus.*
  3. *Potest cessare adiquatè, vel inadiquatè, contrarie, vel negativè.*
  4. *Fine adiquato legis cessante, cessat legis obligatio:*
  5. *Non si cesset inadiquatè.*
  6. *Cessante fine legis negativè in particulari, non cessat legis obligatio.*
  7. *Tollitur obligatio, sine cessante contrarie,*
  8. *Quid abrogatio, derogatio?*
  9. *Legislator potest abrogare legem.*
  10. *Item Successor, vel Superior ipsius.*
11. *Non inferior, per se loquendo.*
  12. *Abrogatio legis sine justa causa est invalida quamvis illicita.*

##### §. I.

*Cessatio legis intrinsecæ et cessatione finit.*  
**C**UM res humanæ, circa quas lex humanæ cogitatur, sint mutabiles, ipsas quoque leges mutationibus subjectas esse necesse est, prout dicatur Esther c. 16. ubi Artaxerxes seu Ahasuerus scribens introducitur: *Nec putare debitis diversa jubemus, ex animi nostri ventre leviter.*

*sed pro qualitate & necessitate temporum, ut Reip. poscit utilitas, ferre sententiam, &c. Hanc mutationem aliquando ab intrinseco fieri posse jam supra indicatum est. Fit ab intrinseco, cum definitus finis intrinsecus & adequata ratio legis, ut si lex incipiat fieri manifestè nociva, vel impeditiva majoris boni, vel ad finem intentum inutilis, Fit ab extrinseco, quando lex vel à Legislatore, vel à contraria consuetudine abrogatur.*

2. Porro finis legis alias est intrinseca, qui est honestas ipsius rei praecepta; alias extrinseca, qui est honestas à Legislatore intenta, & distincta ab honestate materie praecepta. Finis intrinseca reperitur, quotiescumque lex cadit super actum alicuius virtutis; sic in lege jejunii finis intrinseca est honestas temperantiae, in lege Sacri audiendi, recitandi Breviarii, honestas Religionis. Finis extrinseca est aliquando coniunctus cum fine intrinseco, ut in prmissis exemplis honestas actuvm intenditur à Legislatore ad bonum commune, DEUM placandum, avertendas calamitates, &c. aliquando non est coniunctus, uti cum materia praecepta vel prohibita est actus indifferens, v.g. ingressus alicuius domus, gestatio armorum &c.

3. Rursus finis legis potest cessare adæquatè, vel inadæquatè, idque vel ex parte motivi, vel ex parte subjecti. Ex parte motivi cessat lex adæquatè, quando cessat tota ratio & causa, propter quam Legislator judicavit materiam legis esse expedientem bono publico. Cessat inadæquatè, si concurrentibus ad unum finem totalem pluribus particularibus motivis, unum quidem cesset, non ramen cessante altero. Ex parte subjecti, finis legis cessat adæquatè, quando ratio legis cessat pro tota communitate; inadæquatè, quando cessat tantum pro una vel altera parte, & persona communis in particulari. Tandem finis & ratio legis in casu particulari potest cessare, vel positive & contrarie, vel negative. Contrarie, quando propter mutationem circumstantiarum materia legi in casu particulari fit iniqua, impossibilis, vel nimis ardua & difficultilis. Negative cessat, quando ratio legis respectu particularis casus & persona non militat. Quibus pranotatis sit

4. CONCLUSIO PRIMA. *Legis causâ finali adæquatâ universaliter cessante, sive sit intrinseca, sive extrinseca, cessat legis obligatio.* Ita D. Th. 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3. Suar de LL. l. 6. c. 9. cum communi DD. Ratio est primo. Lex obligat, in quantum ejus materia judicatur expediens & necessaria pro bono publico: sed cessante in universum causâ finali legis adæquatâ tam ex parte motivi, quam ex parte subjecti, materia præcepta jam non judicatur expediens, vel necessaria pro bono publico: ergo tunc non amplius obligat.

Secundò à paritate voti: Cessante adæquatâ causâ voti cessat ejus obligatio; Unde si voto te obligasti ad abstinentiam ingressu alicuius domus, ubi ex scemina ibidem commorante imminebat periculum fornicationis, cessabit obligatio, si illa locum mutaverit: ergo idem dicendum de obligatione legis in casu quo cessat adæquatus finis ipsius; nam sicut intentio voventis erat alligata ad evitatem peccati, sic intentio

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Legislatoris erat adstricta ad utilitatem vel necessitatem boni publici; unde sicut in uno casu tollitur intentio voventis, sic in altero intentio Legislatoris.

Patet exemplis. Lex primitiva Ecclesiæ principiebat abstineri ab immolatis, sanguine, & suffocatis, cuius motivum erat, ut Judei ab iis horrendis tanto faciliter in fide & religione cum Gentilibus jungerentur. Quà ratione successu temporis celsante, antiquata fuit illa lex abstinentia. Item: Lex prohibens commercia cum inquinilis alterius provinciae, vel regni, ob intercedentes utrinque inimicities & bella, exprimat redintegratâ pace & amicitia &c.

Dixi tamen primò. *Causâ finali adæquatâ &c.* Nam si solum cesserit particulae motivum, non ideo legis vigor obtunditur. Ita Iraclia, quantumvis alia viâ fuissent ab originali peccato mundati, nihilominus tenebant lege circumcisio, quia finis ipsius non erat solam peccati originalis extincio, & justificatio, sed etiam distinctio à Gentilibus.

Dixi secundò. *Fine legis sive intrinseco, sive extrinseco:* Nam finis intrinseca legis non aliter cessat, nisi quando propter mutationem circumstantiarum illud sit illicitum, quod prius erat honestum, & materia determinata virtutis; sed in hoc casu cessat legis obligatio: Ut primò redditio mutui, vel depositi est actus justitia jure naturæ debitus; si verò redundet in dampnum boni communis, ut fieri potest tempore belli, si videficer hosti Reipubl. reddas pecuniam debitam; tempore contagionis, si depositum ex loco infecto mittas ad non infectum, cessat intrinseca finis legis, qui erat honestas justitia ut subordinata bono communi patriæ. Similiter jure naturæ teneris obediens Superiori legitimus: qui tamen si propter aliquod crimen v.g. lapsum in haren à suo supremo Principe, vel Summo Pontifice declaretur excidisse suo jure & dignitate, cessat intrinseca ratio & obligatio legis: ubi tamen non tam cessat obligatio legis, quam suspenditur pro certo casu determinato, ut cum Suare recte adverit Reding n. 8. Finis verò extrinseca legis tunc adæquatè definit, quando materia præcepta, qua de se fuerat indifferens, fit inutilis ad finem à Legislatore intentum: quo casu non amplius comprehenditur sub intentione Legislatoris, quæ solum attingebat hanc materiam, in quantum deserviebat ad finem intentum: ergo perdita hæc extrinseca relatione non est amplius obligans, e.g. prohibetur tempore belli investitio frumenti in alienam & hostilem provinciam, quia cederet in detrimentum Reipubl., restituta pacem cessa obligatio, si investitio & venditio frumenti cedat in manifestam utilitatem Reipubl.

CONCLUSIO SECUNDA. *Si finis legis in particulari cesserit solum negativi, non cessat legis obligatio.* Ita Salmantic. cit. Reding. n. 12. juxta doctrinam D. Th. 2. 2. q. 154. a. 2. & 3. & tenet Sotus, Salas, Layman, tr. 4. c. 21. aliisque plurimi contra Granad. Henr. Dianam & plures alios.

Ratio est: Remanente fine legis in communis, non tollitur adæquata ratio legis in particulari: sed quando ratio legis non militat pro aliquo casu particulari, non ideo tollitur adæquata ratio legis

Tt

legis in communi: ergo neque tunc tollitur ad-  
æqua ratio legis in particulari; & consequen-  
ter non tollitur obligatio. E. g. si lex, quæ pro-  
hibet noctu arma ferre, finis ipsius non est evita-  
tio cuiuslibet rixæ in particulari, sed periculum  
rixarum & tumultuum, qui ex gestatione nocturna  
armorum evinere solent: lex quippe per se re-  
spicit bonum commune omnium, non singulo-  
rum; unde tametsi in particulari casu ex gesta-  
tione armorum non foret periculum rixæ, non  
ideo cessat periculum in communi, quod adæ-  
quately intenditur. Ideo & simplex fornatio  
semper est lethale peccatum propter damnum  
prolisi, quia licet in aliquo casu particulari edu-  
cationi prolisi latius provideri possit, communiter  
tamen non providetur, neque ex hoc evitatur per-  
iculum damni in communi: lex autem non re-  
spicit casus particulares, sed ea quæ communiter  
contingunt. *I. jura. ff. de legibus.*

7. *Dixi, si finis cessat negative;* nam si cesseret positi-  
vè, seu contrariè, certum est, respectu personæ  
etiam particularis cessare legem: non enim aliter  
cessat finis legis contrariè & positivè, nisi cum  
materia & objectum legis propter mutationem  
circumstantiarum sit illicitum, impossibile, aut  
nimis difficile; unde si hoc fiat respectu totius  
communitatis vel majoris partis, lex generaliter  
cessabit; si respectu unius, vel alterius mem-  
brantum, cessabit particulariter.

### S. II.

#### Cessatio legis extrinsecá per abrogationem.

8. *L*ex potest cessare vel in totum, vel quoad pa-  
tem. Si in totum enervatur vis legis & ob-  
ligatio, dicitur abrogatio; si quoad partem, di-  
citur derogatio; arg. I. 102, ff. de V. S. Unde quæ  
de abrogatione dicimus, proportionaliter intel-  
ligenda sunt etiam de derogatione: de qua qua-  
ritur primò, quinam legem abrogare possit?  
Secundò. An non tantum ad licitam, sed etiam  
ad validam legis abrogationem requiratur justa  
causa abrogandi?

9. *CONCLUSIO PRIMA.* Legem potest abro-  
gare Legislator, ejusq; in officio Successor, vel in ju-  
risdictione Superior.

Ratio 1. p. est primò, quia omnis res per quas-  
cumque causas nascitur, per easdem dissolvitur  
c. 1. de R. I. sed obligatio legis nascitur ex vo-  
luntate Legislatoris: ergo sublatâ voluntate ob-  
ligandi ex parte Legislatoris etiam cessat obliga-  
tio legis. Secundò. Contingit, ut mutatis re-  
rum, temporumque circumstantiis lex non am-

pliùs appareat utilis, aut conveniens bono com-  
muni, quæ ante talis videbatur: ergo necessa-  
riter eiusmodi legum mutationem bono communi  
possit prospicere.

Dices: Hoc ipso, quod lex fiat inutilis, aut  
nociva, per seipsum ab intrinseco definit: ergo  
non opus est autoritate extrinsecā abrogationis.

Resp. Antecedens esse verum, quando legi  
nocivitas, vel inutilitas ita est manifesta, ut quilibet de illa judicaret, sequitur sine aliorum authori-  
tatis accessu legis obligationi subducere possit:  
quia tamen non semper legis inutilitas ita est ma-  
nifesta, saepe etiam ratio commerciorum & con-  
tractuum non permittit, ut sine Superioris autho-  
ritate quilibet possit jugum legis excutere, vel  
uti pater in legibus moneta valorem concerne-  
bus, propterea Principis quoque autoritas acce-  
dat oportet.

Ratio secunda & tertiæ partis est: quia voluntatis successoris æquivaleret in jurisdictione voluntatis antecessoris: voluntas vero superioris etiam  
pravalet: unde quod in jurisdictione licet antec-  
cessori, vel inferiori, etiam fas est successori,  
vel superiori. Ex quo pariter

Colliges: Inferiorem non posse abrogare legem  
superioris, eò quod voluntas inferioris nullum  
habeat jus & eminentiam supra voluntatem  
superioris; nisi forte ex privilegio, vel præcepta  
consuetudine: de quibus infra arg. c. 4. diff. 21.  
c. 16. de major. & obed.

**CONCLUSIO SECUNDA.** Abrogatio legi  
a superiori ordinario sine justa causa est quidem il-  
licita, sed tamen valida: ab inferiore Legisla-  
toria est etiam invalida.

Ratio 1. p. est: Legislator peccat agendo con-  
tra exigentiam boni publici: sed mutare & ab-  
rogare leges sine rationabilis causa, est contra exi-  
gentiam boni publici; aut enim lex abrogata  
fuit utilis, aut inutilis Republica; si inutilis  
jam erat rationabilis causa abrogandi; si utilis,  
ergo sine rationabilis causa illam abrogans agi-  
contra rationem statutis & boni publici. Ratio 2.  
p. est: quia sublatâ adæquatâ causâ, à qua effec-  
tus dependet tam in fieri, quam conservari, tol-  
litur etiam ipse effectus: atque obligatio legis de-  
pendet à voluntate Legislatoris, tanquam causa  
adæquata: ergo sublatâ hæc voluntate peribit ob-  
ligatio legis; & consequenter abrogatio erit via-  
lia.

Cæterum, quia leges etiam in totum abroga-  
tur per præscriptam consuetudinem, ideo sit

## ARTICULUS II.

### De consuetudine.

#### S U M M A R I A.

1. Consuetudo alia facti, alia juris.
2. Consuetudo dividitur in secundum legem, præ-  
ter legem, contra legem.
3. Potest introduci consuetudo habens vim legis.
4. Primò requiritur actum frequentia.
5. Secundò voluntas inducendi obligationem.
6. Tertiò tacitus consensu Superioris.
7. Hinc nulla datur consuetudo contra immunita-  
tem Ecclesiasticam.
8. Consensu Principis alia personalis, alii legali.
9. Quartò requiritur notabilis temporis disti-  
nitias.
10. Quinto.

10. *Quintus. Ut consuetudo sit rationabilis.*
11. *Lex abrogatur per consuetudinem.*
12. *Objicitur irrationalitas actuum contra legem obligantem.*
13. *Sententia docens consuetudinem introduci per actus formaliter peccaminosos rejicitur.*
14. *Argumenta contraria solvuntur.*

## S. I.

*Requisita ad introducendam consuetudinem.*

1. **N**otandum, Consuetudinem dividi primo in consuetudinem facti & juris. Illa ex D. Th. in 3. d. 23. q. 1. a. 4. est frequentia operandi liberè eadem modo. Ita, que ex precedenti oritur, definitur ab Isidoro in c. consuetud. 5. dist. 1. ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. Quæ tamen definitio cum neque diuturnitatem & tacitum populi consensum, potissimum consuetudinis requisita, explicit, neque consuetudini contra legem convenientias, rebus aliis ex s. sine scripto. 9. In istis, de jure naturali. O. civ. & l. de quibus ff. de legis definitio consuetudinem, quod sit ius diuturnis moribus, & tacito populi consensu introductum. Solet etiam appellari ius non scriptum; non, quasi omni aliud in scripturam necessariò redigatur, sed quis omne aliud ius legale Magistratus potestatem legislativam habentis expressa sanctione statuitur.

2. Dividit præterea consuetudinē in consuetudinem secundum legem, præter legem, & contra legem. Ubi rursus consuetudo secundum legem minus propriè pro consuetudine facti; non iuri accipitur; cum non significet ius novum moribus introductum, sed solidè observantiam & executionem legis scriptæ: habet tamen & ipsa suos effectus & vires, tum ut legem obscuriorē declarat, unde optima legum interpres appellantur: tum ut illam firmiores, & à contraria consuetudine securiorem efficiat, quo sensu Gratianus dixit, *leges firmari, cum moribus nientium comprobantur.* c. in iis. 3. dist. 4. consuetudo præter & contra legem majoris sunt efficacizæ, de quibus sit.

3. **C**ONCLUSIO. Potest in communitate introduci consuetudo, que habeat vim legis. S. D. q. 97, a. 3. Suar. 1. 7. c. 14. aliique omnes. Constat pri-mò ex l. de quibus & seqq. ff. de legis. s. sive scripto. In istis, de jure naturali. Et secundò ratione expressa l. cit. de quibus. Potest communitas per mutuum consensum majoris partis, & ipsius Principis sile obligare ad aliquid observandum: sed ille consensus populi potest sufficiens moribus & factis declarari, sicut & consensus Principis per taciturnitatem ipsius: ergo potest propriis factis & moribus communitas aliquod ius & obligationem inducere. Ceterum ad novæ legis & juris consuetudinarii introductionem quinque conditions sunt requisite.

4. Requiritur primò actuum frequentia publica, libera, non interrupta. Frequentia ex l. 1. C. qui sit longa consuetudo. Nam consuetudo vocatur, quod in communis usu. c. 5. dist. 1. sed unusactus non probat communem usum. Quoniam verò actus ad inducendam consuetudinem requiriuntur, nec iura determinant, nec facile determini-

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

nari potest. Tanta saltem frequentia requiri-tur, quanta ad manifestandum firmum populi consensum prudentum judicium sufficit. Publica requiritur, nam ius consuetudinarium cum aliâ promulgatione non egat, per actus notorios publicæ & communis regulæ rationem sortiri debet. Libera sit oportet, quia communem & tacitum populi consensum indicat: unde etiam actus vi vel gravi metu extorti, probabilitate ad inducendam consuetudinem non sufficiunt, li-cet enim tales actus non sint simpliciter involun-tarii, non tamen videntur sufficere ad significan-dum liberum populi consensum, & animum in-ducendi ius legale, cum ipsa populi renitentia potius significet animum faciendi oppositum. Non interrupta sit necesse est, ut nempe communi-tas offerte se occasione semper operetur eodem modo, alias legitimè prescribi aut unifor-mem, stabilemque populi consensum significare non poterit, si vel tota communitas, vel major pars ipsius actum contrarium interponat.

Requiritur secundò in frequentatione actuum [quo nomine etiam comprehendimus omissiones] saltem interpretativa voluntas inducendi ius vel obligationem. Suar. 1. 7. c. 14. Layman cit. c. 24. ubi distinguendum est inter consuetu-dinem, quæ tendit ad liberandum, & quæ tendit ad obligandum. Consuetudo tendens ad liberandum à legis obligatione inducitur per omis-siones, vel actus legi contrarios, & in iis requiri-tur voluntas abrogandi obligationem legis, seu inducendi ius contra legem. Consuetudo tendens ad obligandum, seu inducendum novum ius præter legem, requirit voluntatem obligandi, & includit tacitum judicium populi existi-mantis, talem obligationem esse sibi convenien-trem. Alius enim agentium non operantur ultra intentionem eorum. c. fin. de proband. Unde ut ius, vel obligatio inducatur, etiam intentio sal-tem implicita & interpretativa requiritur. Qua-  
dicausa multi actus publicè frequentari, nullam tamen legis necessitatem indincunt, quia ex mera devotione peraguntur: ut Salutatio Angelica ad ternum campana pulsū, aspersio aquæ benedi-citæ in ingressu Ecclesiæ, &c. Signa aliqua ob-ligationis intenta, vel inducta tradit Suarez cit: Si res ex se difficultis nihilominus à plerisque è communitate servetur, si sit bono communi valde expediens: si populus male sentiat de contraria gentibus; si superiores in transgressores severius animadvertant, &c. In dubio tamen, an con-suetudo ex animo se obligandi sit introducta, pro devotione & gratitudo affectu potius presumendum erit: non enim lex presumitur, nisi probe-tur, & nisi manifestè constet, nemo presumitur sibi ipsi velle onus imponere. Palau, Suarez, Salmanticensis, aliique communiter.

Requiritur tertio: Tacitus saltem consensus illius magistratus, penes quem est potestas ferendæ leges, si illa non sit penes communitatem: ex l. de quibus. l. sed & ea. ff. de legis & tradit D. Th. q. 97. a. 3. ad 3. & DD. commun. Ratio est: quia agnè ius non scriptum, quam scriptum à potestate legislativa descendit: ergo, si ista non est penes communitatem sed magistratum, illius quoque authoritas interponi debet: sed hoc sic  
Tt 2  
per

- per consensum sicut tacitum, qualis est toleratio Principis, cum facile posset consuetudinem impediare, eive resistere: ergo.
7. Hinc infero cum Salmanticensibus, nullam posse dari consuetudinem, quæ adversus immitatem Ecclesiasticae prævaleat, tametsi sit immemorialis, siquidem Summus Pontifex quotannis in Bulla Cœna ejusmodi consuetudinem seu corruptelam damnat, & improbat. Neque refert, quid Summus Pontif. sciat, in multis locis contrarium practicari, nam multa, quæ per patientiam tolerantur (ut evitentur majora mala) non hoc ipso comprobantur, præsertim dum contraria protestatio singulis annis renovatur, per c. c. jam dudum. de præbendis, c. denique, dist. 4.
8. Porro prædictus consensus Principis, sive magistratus dividitur in personalem, & legalem seu generalem. Personalis est, qui provenit à persona Principis, consuetudinis notitiam in specie habentis, camque vel expressi vel tacite applicantis. Legalis seu generalis est consensus in jure communis generaliter expressus pro omni consuetudine legitime introducta: qualis a Superiori Ecclesiastico habetur in c. finali, de consuetud. & à Civili in l. de quibus. ff. de legibus dicente: Reclamissimè etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. Prior consensus adeoque & specifica notitia consuetudinis requiritur, quando nondum adest tempus ad præscribendum sufficiens: tunc enim ad inducendum jus aliunde robur habere non potest. Legalis vero consensus ad consuetudinem tam prater, quam contra legem sufficit, quando expletus est temporis lapsus ad præscriptionem requisitus; cum jura plus non requirant, quam ut consuetudo sit rationabilis, & legitime præscripta. Unde
9. Requiritur quartò notabilis temporis diutinitas: sed quanta illa? Variant Authores. Et quidem si consuetudo introducatur sciente & connivent Principe, verisimile est juxta prius dicta, minorem temporis tractum, & illum quidem sufficere, ex quo prudenter colligi potest, Principem in novi juris introductionem, vel propriæ legis abrogationem consentire. Verum quia & hoc nimis incertum est, ideo regulariter ad consuetudinem tam prater, quam contra legem requiritur decennium: Nam jura ad introductionem consuetudinis requirunt longum tempus: sed eadem jura continuatum decennium reputant longum tempus. l. ult. C. de præscript. §. i. inst. de usucacion. Ergo illud regulariter ad consuetudinem requiritur. Quia tamen adversus Ecclesiam nonnisi post quadragesita annos præscribitur, c. de quarta. c. ad aures. de præscript. ideo ad inducendum consuetudinem adversus leges Ecclesiasticas quadragesita annos requirunt Layman tr. 4. c. 24. n. 5. Suar. l. 6. c. 8. Alii vero non minus probabiliter cum Haunoldo etiam ad consuetudinem præscribendam contra leges Canonicas decennium sufficere affirman; tum quia consuetudinis præscriptio non est rigorosa sed tantum quasi præscriptio; tum quia consuetudo contra legem Ecclesiasticam non infert aliquod damnum in bona & dominia Ecclesiae, cui præcavendo longius tempus ad praescribendum contra Ecclesiam iura requiriuntur.
- Requiritur quintò. Ut consuetudo sit ratio-  
nabilis per c. ult. de consuetud. ibi: licet longe-  
consuetudinis non sit vilis autoritas; nonamen  
est u[er]o adeo valitudo, ut iuri debet pre-  
judicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legi-  
timè sit præscripta. Cum enim consuetudo vim  
legis à potestate legislativa accipiat; ideo sicut  
ista ad actum leges ferendi prudens & rationabile  
judicium supponit, sic etiam consuetudo requirit.  
Nec tamen, ut consuetudo sit rationabilis, oportet,  
ut semper positivè conferat ad boni communi-  
nis utilitatem [quod est esse rationabilem positi-  
vè] sed sufficit, si publica utilitati non adver-  
tatur, [quod est esse rationabilem negativè] ut ob-  
servat P. Engel l. 1. t. 4. §. 4. neque juri Divino  
& naturali repugnet, neque sit jure Canonico re-  
probata; nam si lex ipsa obstat consuetudini in-  
ducenda, camque corruptelam esse declarat, ve-  
luti in c. quod super his, de consanguinit. & affinit.,  
non poterit præsumi consensus legalis Principis;  
ut tradit Aug. à V. M. disp. s. q. 10. quamvis  
clauſula reprobative consuetudinis tam in pra-  
teritum, quam in futurum e. g. nulli impotest  
valitudo consuetudine, non impedit, quod minus  
variatis circumstantiis ex nova rationabili cauſa  
consuetudo legi contraria introduci possit; cum  
illæ ipsæ clauſulae juri humani & positivi effica-  
ciam, contra quam rationabilis consuetudo ad-  
mittitur, non excedant: veluti cum Panormit.  
tradunt P. Engel l. c. n. 15. & Reverendiss. D.  
Rup. Kimpfer parte 4. §. 1. n. 4. in Thei, de con-  
suetud.

## §. II.

*Quomodo possit introduci consuetudo contra legem?*

Ex præmissis facilè deducitur, posse legem abrogari per consuetudinem: nam potest lex abrogari per consensum & voluntatem legislatori: sed consuetudo contra legem haberet efficaciam ex incluso consensu & voluntate legislatori: ergo potest legem contrariam abrogare, dummodo habeat requisita primum exposta. Verum hic non levis difficultas insurgit: Nam ut introducatur consuetudo iuris, debet esse rationabilis: sed contra legem sub peccato obligatum consuetudo non potest esse rationabilis; et actibus quippe peccaminosis & contra legem, adeoque & rectam rationem commisus non potest confari rationabilis consuetudo & bona fide præscripta: atqui talis est consuetudo quæ contra legem inducit: ergo. Respondent gravis Authores, Suarezl. 7. c. 1. Palus disp. 3. pundi. 2. §. 1. Haunold de 1. & 1. t. 10. c. 3. contr. 1. & nuper Clariss. D. Cletle in affer. juridicis affer. 3. p. 8. posse introduci consuetudinem contra legem per actus etiam illicitos & formaliter peccaminosos, quæ tamen erit rationabilis, inquantum non est contra legem naturaliem vel divinam, neque afferit incommode bono publico. Moventur primò: quia consuetudo contra legem introducitur vel per actus formaliter, vel non

formaliter peccaminosos. Non secundum: ergo primum. Minor probatur: Consuetudo non introducit contra legem, nisi cum scientia legis contraria & animo abiciendi illam, atque jus contrarium inducendi: sed hoc non fit nisi per actus vel omissions formaliter peccaminosas: ergo. Secundum. Ad inducendam consuetudinem præter legem, requiritur ex parte introducentium animus introducendi obligationem legis, & ideo quidem, quia actus ex errore gesti non præbent sufficiens argumentum liberi & voluntarii consensu in obligationem legis: ergo ex eodem capite ad inducendam consuetudinem contra legem requiritur animus se deobligandi à lege, quod non sit nisi per actus vel omissions scienter & malâ fide contra legem exercitas: nam actus bona fide eliciti supponunt ignorantiam obligationis, & erroneam opinionem, quod antecellentes ex justa causa legem non servarint.

13. His tamen non obstantibus adhæreo sententia Laymanni l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 24. P. Engel Collegi Juris C. tit. 4. de consuet. §. 4. Reverendiss. D. Rupert Kimpfer in Disp. de consuetud. part. 2. §. 4. n. 9. p. 17. per actus formaliter malos, & peccaminosos consuetudinem non introduci: neque illos actus in introductione consuetudinis esse computandos. Nam primò jus consuetudinariū cū sī regula legitima humanae actuum moraliter bona, honesta, recta, rationabilis, non potest coniungere ex causa formaliter in honesta, & à rectificatione devia, quales sunt omnes actus formaliter mali & peccaminosi. Secundò, neque potest indicare rationabilem consentium, sed potius corruptelam, quod contra rectam rationem ī contumeliam Creatoris committitur. Tertiò, neque potest legislator in ejusmodi actus vel personaliter vel legaliter consentire. Quartò, neque debent subiici ex transgressione legis præmium & exemptionem à vinculo legis reportare, arg. c. fin. de prescript. Quintò, neque capio, quomodo dici possit consuetudo legitimè præscripta [isto non sit ad aquatā paritas cum præscriptione contra bona & dominia] cui neque lex, neque bona fides suffragatur: neque enim solus temporis tractus sufficit, ut aliquid sit legitimè præscriptum.

14. Debet igitur consuetudo in triplici statu considerari. Primus est quasi dispositivus, quo popu-

lus malâ fide scienter & peccaminosè contra legem operatur; ubi licet consuetudinis præscriptio nondum incipiat defectu rationalitatis & bona fidei, fiunt tamen quasi dispositiones, ut succellores de consuetudine jam præscripta, & sufficienti consensu tum populi, tum legislatoris bona fide præsumere & licet contra legem operari possint, qui est status secundus consuetudinis in fieri, quo nempe consuetudo lapsu temporis decennalis introducitur, & tertius est status ipsius in factō esse, quo consuetudo per actus non iam formaliter, sed materialiter tantum contra legem elicitos legitimè præscripta, legis contraria obligationem extinguit.

Unde jam ad 1. argumentum in contrarium Respondeo, consuetudinem introduci per actus non formaliter peccaminosos, sed tantum materialiter, & cum ignorantia obligationis contra legem elicitos. Probationem distinguo duplēciter: Consuetudo introducitur contra legem cum scientia legis contraria, & animo abiciendi illam materialiter [h. e. faciendo id quod à parte rei est lege prohibitum, cum inculpabili tamen ignorantia obligationis] concedo; formaliter, nego: & sic dist. min. nego consequiam. Secundò: Introducitur cum animo abiciendi etiam formaliter, tanquam per actus quasi remote dispositivos, instar conditionis sine qua non, concedo; tanquam per actus proximè causati, nego conseq. Ad 2. nego conseq. & paritatem; quia non tam facile præsumi potest liber consensus populi ad imponendam sibi obligationem, quam ad amovendam. Quia igitur in introductione consuetudini præter legem agitur de imponenda obligatione, actus ignorantie elicit non præbent sufficiens argumentum consensus liberi: quia verò in consuetudine contra legem agitur de favore, de obligatione, libertate, ad quam populus suopè genio inclinat, sufficiens argumentum consensus præbent actus cum scientia quidem legis, sed tamen cum probabili ignorantia obligationis elicit; quia quidem probabilis ignorantia consuetudini contra leges est propria, & necessaria, ut per illam rationalis causa saltem putativa contra leges agendi detur, & actuum malitia bona fidei adminiculò abstergatur, prout tradit cit. Clariss. Kimpfer p. 43 n. 3.

### ARTICULUS III.

#### De legum interpretatione, & epikia.

##### S U M M A R I A.

1. Definitio & divisio interpretationis.
2. Interpretationem doctrinalem patitur etiam lex Divina, & naturalis.
3. Divisio interpretationis doctrinalis.
4. Extensiva interpretatio alia comprehensiva ob identitatem rationis:
5. Alia purè extensiva, ob paritatem rationis.
6. Quid interpretatio restrictiva, & epikia?
7. Datur epikia.
8. Etiam in lege Divina & naturali.
9. Excipiuntur leges irritantes.

##### §. I.

#### De legum interpretatione, & epikia.

Interpretatio est explicatio verborum legis, ordinata ad concipiendum verum legis sensum & significationem à legislatore intentam. Est triplex juxta glossam in l. 37 ff. de LL. Authentica, que est ab ipso Principe & legislatore, ejusque Successore vel Superiori, non autem ab inferiore, nisi ad hoc ipsum à Superiori potestatem accepere, habet autoritatem & efficaciam legis,

Tt 3

pre

per c. inter alia, de sent. excomm. ibi: unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. & L. ult. C. de leg. Definimus autem, omnem Imperatorum legum interpretationem, sive in precibus, sive in iudicis, sive alio quocunque modo factam, ratam & indubitatam haberi. &c.

Altera est interpretatio *usualis*, quæ sumitur ab uso & consuetudine moribus recepta: nam optima legum interpres est consuetudo. c. cum dilectus. de consuetudine. Imo & ipsa consuetudo legitime praescripta habet vim legis juxta prius dicta.

Tertia demum dicitur interpretatio *doctrinalis*, seu *scholastica*, quæ nimur à Doctoribus traditur: & hæc per se loquendo non inducit obligationem, sed probabilitatem.

2. Interpretatio doctrinalis locum obtinet non solum in lege humana, sed etiam divina & naturali, quando præcepta legis dubium, vel obscurum sensum præ se ferunt. Ad illam reducitur interpretatio consuetudinis non praescripta, item interpretatio judicialis facta à iudicibus inferioribus, nec non interpretatio facta ab ipso Legislatori, tanquam à Doctore privato, & opinative scribente.

3. Interpretatio doctrinalis rursus dividitur in declarativam, extensivam, & restrictivam. *Declarativa* est congrua dubiorum, vel obscurorum verborum expolito, quæ ut recte instituuntur, observandæ sunt sequentes regulæ: Primo investiganda est mens & intentio Legislatoris, quam habuit, dum legem condidet; hac quippe est anima legis; ideoque si de hac constet, illi adhaerendum est, quicquid aliud verba sonare videantur: nam ut dicitur l. 17. ff. de LL. scire leges non est earum verbatenere, sed vim & potestatem. Et l. non dubium, eod. In legem commititur, qui verba legis amplectens contra legis initium voluntatem. Et eleganter D. Hilarius l. 4. de Trinit. *Intelligentia dictorum ex causis est affirmenda dicendi: quia non sermonis res, sed rei debet esse sermo subiectus.* Ita post Suarez l. 6. c. 1. Sanchez, Layman, Salmanticus, hic puncti, 3. n. 24.

Secundò. Attendenda est legis ratio, quæ plenumque in proemio, & initio legis ponitur, quia exinde portissimum finis & intentio Legislatoris elucet: præsertim, si ratio legis comparetur cum aliis legibus: debet quippe presumi mens Legislatoris sibi suisque legibus consona, si nulla sit iusta & sufficiens oppositio, quam in legibus, quantum fieri potest, vitari oportet.

Tertio. Attendenda est verborum proprietas, sive lex sit favorabilis, sive odiosa, prout docet Layman tr. 4. c. 18. Palao tr. 3. disp. 5. p. 3. §. 3. alias quippe nulla foret legibus firmata, sed omnes forent illusioni & confusione obnoxii. Igitur per se loquendo talis presumitur fusile Legislatoris intentio, qualem verba in proprio sensu, & communii usu accepta significant. Quod si verba admirantur duplitem sensum, naturalem [ h. e. qui communii hominum impositione & acceptance convenit ] simul & civilem [ h. e. qui est proprius arti politice, & convenit rebus fictionem juris ] distinguunt prædictati DD. Vel enim lex est odiosa, vel favorabilis; si odiosa, sive dein præceptiva, sive penalnis, restringi de-

bet, adeoque verba in proprio & naturali sensu accipienda: unde leges latæ de filiis, de filiis legiis sunt intelligenda, non de legitimatis per favorem Principis. Si vero lex sit favorabilis, etiam sensus civilis admittitur: juxta regulam jur. *favores sunt ampliandi*, & sic sub nomine illi venient etiam adoptatus, legitimatus, nepos: sub nomine nobilis, non solum qui taliter iure sanguinis, sed etiam beneficio Principis. Dicimus per se loquendo, quia, ut communiter notantur DD. si ex proprio sensu legis aliqua sequetur iniquitas, aut damnum innocentis, vel lex redideretur inutilis & illuforia, à proprio sensu etiam ad improbum declinandum foret: quia, ut dicunt in c. secundo requiri. 41. de appellat. Verba intentioni deserviant, & non intentio verbi. Non potest autem presumi de Legislatori, quod in legge condenda iniquitatem intendere.

Extenſiva legis interpretatio dividitur in comprehensivam, & merè extensivam. Comprehensiva est, quæ lex extenditur ad personam vel causam verbis quidem non expressum, mente tamen Legislatoris comprehensum ob adæquatam rationis identitatem: quæ secundum communem DD. nominatim Layman tr. 4. c. 18. Sunt, l. 6. c. 3. n. 16. Pyrhing l. 1. Tit. 11. de constitut. n. 112. Clariss. P. König ibid. §. 12. n. 27. locum habet in lege non tantum favorabili, sed etiam odiosa, & præceptiva. Hujus probationem suppeditat ultima Reg. l. in 6. quod possit esse sub mente legis id, quod non comprehenditur sub verbis legis: quod aliud esse non potest, quoniam id, in quo currit adæquata ratio Legislatoris, motiva ad ferendam legem: cum prudenter presumi possit, voluisse Legislatoris sua lege comprehendere omnes causas, in quibus ipsius adæquata ratio reperiatur, nisi de contrario altius constet. Et sic primò præsumitur extenso comprehensiva esse de mente Legislatoris in correlativis, ubi, quod disponitur de uno, dispositum censemur de altero: ita si vir eximitur ab obligatione reddendi debitum uxori adulterie, etiam uxor deobligabitur respectu mariti adulteri; ita licet in c. illis de sponsalibus, dicatur, quod sponsa liberetur ab obligatione sponsalium proper absentiam sponsi sine sua licentia factam; tamen ob adæquatam rationis identitatem dicendum erit, etiam sponsus deobligari propter absentiam sponsæ factam sine sua licentia. Secundum in æquiparatis, subordinatis, & connexis; ideo cui lex concedit facere testamentum, etiam concedit facere codicillum; cui prohibet codicillum, à fortiori prohibet testamentum. Cui conceditur usus carnium, etiam conceditur usus lectionariorum; & concessio principali concedi censetur accessoriorum. Nec refert, quod les agat de persona vel casu particulari, dum modo non vult ad illum restringere legis decisionem: sic decisiones Pontificium & Imperatorum Corpori Juris inserta obligant in communi, & causis particulis continent tanquam exempla legis declaratoria, non limitantia, aut restrictiva.

Dixi tamen primò, ob adæquatam identitatem rationis, nam si identitas sit inadæquata, causus sub lege comprehendendi non censemur, neque si tantum sit paritas vel similitudo rationis, quia tunc cur-

rit altera juris Regula, quod si Legislator idem fieri voluisse, poterat exprimere. c. 2. de Translat. Episcopi. ergo si non expresit, ejusmodi casus in legge non comprehenditur, juxta illud Gloss. in l. 15. ff. de L. E. Exceptio a regula firmat regulam in contrarium.

Dixi Secundo. Locum habere in lege etiam precepit: nam in lege poenali non datur extensio comprehensiva ad casus non expressos, neque quoad poenam, neque quoad vinculum obligationis, tametsi videatur esse rationis identitas, nam leges odiorum sunt restringenda. Et l. 42. ff. de pœnis. Interpretatione legum pœna mollienda potius, quam exasperanda. Ratio quoque est: quia tota vis obligandi tam quoad culpam, quam quoad pœnam, dependet a voluntate Legislatoris; si ergo ipse noluit legem extendi ad alium casum quoad pœnam, verisimile est, etiam non iussisse extendi quoad culpam & obligationem: siquidem pœna infligitur propter culpam: ideo quanvis in iure equiparentur consulentes, mandantes, facientes; si tamen excommunicatio latet adversus facientes, non extenditur ad consulentes. Irregularitas lata contra rebaptizantes non extenditur ad iterantes Sacramentum Ordinis, vel Confirmationis, quanvis nulla appareat diversitas rationis. Ita Layman tract. q. c. 18. n. 2. & 9. Sanch. I. 10. de matrim. disp. 4. Salmantic. loc. cit. n. 46.

Interpretatio merè extensiva est, per quam dispositio legis ob paritatem, vel similitudinem rationis extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente Legislatoris comprehensum. Huic nulla est vis & efficacia extra iudicium & in foro conscientiae, quia ad hoc lex non obligat: quod est extra intentionem Legislatoris: sed quod neque verbis neque mente Legislatoris continetur, est extra eius intentionem: ergo ad id extensio legis non obligat. Extra iudicium, inquam, quia in iudicio ad decisionem causarum forenum etiam huc extensioni est locus: cum enim nequeant omnes casus legibus comprehendendi, prudenter distat, ut in casu non expreso procedatur ad normam expressi, per l. 13. ff. de L. L. imò Judices quoque obligari, ut deficiente legum evidentiâ, jus dicant secundum similia probabilitatem docet Haunold. de Jure & Just. tr. 1. c. 5. controv. 2. n. 284.

6. Restrictiva interpretatio est, quā interpretamur aliquem casum particularem propter certas circumstantias sub lege & intentione Legislatoris non contineri, eaque peculiari nomine diciatur epikia. Sit igitur

### §. II.

#### Epikia.

**H**æc ab Aristotele l. 5. Ethic. & Doctore Angel. ibidem l. 16. describitur, quod sit emendatio legis, quā pars deficit propter universalitatem. Sive benigna interpretatio & restrictio legis secundum aquum & bonum, eo sensu, quem in fine præced. §. diximus.

7. Datur itaque Epikia: quia leges feruntur universaliter cum reflexione, quid in pluribus, non quid in singulis casibus particularibus contingere possit, & soleat. Ideoque nonnunquam opus

est exceptione alicuius casus & personæ particularis, cum æquitas naturalis dicat, legis universalitatem & Legislatoris intentionem ad ejusmodi casum se non extendere: quā ratione personæ debiles, & magno labore fatigatae exculantur à lege jejuniæ. Neque sic prejudicium infertur potestati legislativa, cū præsumatur Legislator in simili casu eadem fuisse dicturus, ut colligitur ex l. nullæ juris. ff. de leg. ubi haberur: Nulla juris ratio, aut æquitas benignitas patitur, ut, quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, eas nos duriori interpretatione contra ipsorum commendum producamus ad severitatem.

Ceterum, ut detur locus epikiae, non necesse est, ut legis observatio in particulari casu efficiatur iniqua & damnosa bono publico, sicut si in obsecra civitate esset præceptum, ne portæ aperiatur, licet tamen illas aperire civibus ab hoste ad civitatem compulsi, quia tunc præcepti observatio esset iniqua & damnosa ipsi civitati, sed sufficit, quod sit valde onerosa, & difficultis obseruari: cum enim iugum Christi sit suave, & onus leve, lex quoque debet esse suavis, ut humano modo & sine magna difficultate possit servari. Unde si casus occurrat magnō incommodo vestitus, præsumi potest, quod Legislator illum sub rigore legis noluerit comprehendere. Sic communiter excusat mulier ab auditione Sacri, si inde honoris, sanitatis, rei familiaris jacturam aut damnum metuat, Suar. I. 6. c. 7. Palau. tr. 3. disp. 5. punct. 3. Imò quotiescumque moraliter constat, & prudenter præsumitor, quod Legislator noluerit aliquem casum comprehendere, quantumvis verba legis sint generalia, licitum erit oppositum operari, juxta ea, quæ tradit Suar. cit. n. 6.

Neque excipitur ab epikia lex Divina & naturalis, nisi cū prohibent actus intrinsecè malos, qui per nullam circumstantiam à malitia depurari possunt, ut sunt mendacium, fornicatio; nam ab istarum etiam legum universalitate plures casus singulares possunt deficere. Sic iure naturali prohibetur occidio hominis, quem tamen justè occido, si mihi necem iniustè intenter. Secretum servare, extremè indigenti subvenire, sunt iuri naturalis, dantur tamen casus, in quibus istæ leges non obligant. David per epikiam urgente famis necessitate judicavit sibi licitum comedere panes propositionis, aliquid lege divinâ veritos; & Machabæi, licitum esse die Sabbathi hosti resistere.

Excipiuntur tamen leges irritantes, & quæ formas subtilitatis actibus præscribunt; in his quippe, secundum communiores DD. sententiam epikia contra verba & formam legis non admittitur, eò quod rigor istarum legum & forma opposita actibus, vel contractibus, concernat bonum publicum, nisi alter mens Legislatoris colligi possit. Ideo non obstante quācumque necessitate irritum est matrimonium sine parocho & testibus contractum, neque valet testamenta, contractus aliquique actus sine præscripta forma celebrati, extra casus specialiter exceptos. ut tradit Layman deleg. c. 19. n. 2. Barb. ad Concil. Trid. Sess. 24. c. 1. Sanch. de matr. I. 3. disp. 17. P. Engel Tit. II. §. 4. n. 78. P. König ibid. §. 12. in fine.

ARTI-

## ARTICULUS IV.

### *De dispensatione legis humanæ.*

#### SUMMARI A.

1. *Definitio dispensationis.*
2. *Datur potestas dispensandi.*
3. *Dividitur dispensatio in particularem & totalem.*
4. *In tacitam & expressam.*
5. *In directam & indirectam.*
6. *Dispensatio est stricta interpretationis, non potestas dispensandi.*
7. *Superior sine justa causa validè quidem, sed non licet dispensari.*
8. *Inferior & delegatus invalidè.*
9. *Varia causa, ut inferior dispenset in lege Superiori.*
10. *Quia potestas dispensandi est ordinaria.*
11. *Corollaria.*
12. *Potest Prelatus secum dispensare indirecte.*
13. *Potest dispensare cum vagis.*
14. *Cum forensibus secundum theoriam probabilitatis non potest.*
15. *Secundum praxim potest.*

#### §. I.

*Quid & quotuplex sit dispensatio?*

1. *Dispensatio est relaxatio legis pro aliquo, vel pluribus personis, aut casibus facta ab habente legitimam potestatem, manente vigore legis ex parte materie. Dicitur primo, relaxatio legis; quia formalis effectus ipsius est, eximere subditum à vinculo, & rigore legis, ideoque à D. August. relato in c. ipsa pietas. 23. q. 4. vocatur *vulnus contra integratam severitatem*. Secundo, pro aliquo, vel pluribus; quia si sit pro omni persona, & casu, non erit dispensatio, sed abrogatio legis. Tertiò, ab habente legitimam potestatem; quia est actus jurisdictionis, ex quo distinguitur ab interpretatione & epikia. Quartò, manente vigore legis ex parte materie; hoc quippe ablato, & mutata materia, legis obligatio non amplius ad illum casum extenditur, vel per epikiam ad illum se non extendere declaratur.*

2. *Dari potestatem iuste & licite dispensandi in lege humana, docet D. Th. q. 97. a. 4. & demonstrat praxis quotidiana: insuper suader ratio: nam datur potestas legem totam abrogandi quoad omnes: ergo etiam eandem remittendi quoad aliquos. Sed neque leges, neque senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus, & qui quandoque incident, comprehendantur, sed sufficiat, ea, que plerumque accidenti, contineri, l. 10. ff. de leg. unde varie dari possunt cause rationabilis unum alterumve à generali legis vinculo eximendi: ut, aliqua legem servandi difficultas, non tamen adeò magna velevidens, ut quis per seipsum epikia uti possit, vel dignitas personæ, ejusve erga Rempubl. merita & obsequia, quorum intuitu æquum est eandem à communibus oneribus eximi, ut habetur in c. de multa. de prabendis.*
3. *Dispensatio dividitur primò in particularem & totalem. Totalis est, quæ obligationem legis*

ex toto; particularis, quæ illam tantum ex parte relaxat: ut si dispensetur tam quoad obligationem culpa, quam poena, erit totalis; si tantum quoad obligationem poena remanente obligatione culpa, erit particularis dispensatio.

Secundò dividitur in tacitam & expressam. Tacita est, quæ signis obscurioribus; expressa vero, quæ signis evidenter exhibetur, putat per verba sufficienter significativa voluntatem dispensandi, quæ non sunt in jure determinata, neque necessariò dantur in scripto, nisi id jure expressè statutatur. Tacitæ dispensationes exemplum habet, si Prelatus sciens te lege impeditum, aliquid injungat, vel concedat, quod incompatibile sit cum lege; e. g. si sciens te irregulariter, concedat dimissoriam ad suscipiens SS. Ordines, vel beneficium conferat, censetur tacite dispensare in irregularitate, eo quod non possit prudenter presumi, velle Superiori, ut subditus agat contra legem. Gordon. l. 2. q. 13. n. 4. Palo disp. 6. punct. 12. Sanch. l. 8. de matrim. disp. 4. n. 2. Meritor tamen communis DD. calculò removet à dispensatione tacita præsumpta voluntas, vel ratihabito superioris de futuro, quia dispensatio à lege deobligans est voluntas Superioris praesens, vel antecedent actum, non qua tantum est, vel erit. Sic ut aliquis in vetito gradu cum consanguineo legitime contrahat, non sufficit quod præsumat à Pontifice obtinendam dispensationem &c. Ita Salmant. c. 5. punct. 2. n. 12.

Tertiò. Dividitur in directam seu immediatam, & in indirectam seu mediataam. Directa est, quæ dispensat Prelatus cum subditis; indirecta, quæ secum ipse dispensat: idque duobus modis contingit; primò quando cum tota communitate dispensans v. g. in lege jejuniis, vel feli, hec ipso à lege naturali ad observantiam sue legis non amplius obligant. Secundò, quando dat alteri, v. g. Confessario facultatem dispensandi cum sua persona.

#### §. II.

*Quibus, & cum quibus conveniat potestas dispensandi?*

A Liud est dispensatio, aliud potestas dispensandi. Illa tanquam vulnus legis, coquod odiosa restringi debet, que enim a jure communice exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda per Reg. 28. potestas vero dispensandi, tanquam conceila in favorem dispensantem ampliari gaudet. Potestas dispensandi alia est ordinaria, alia delegata. Ordinaria competit Legislatori, ejusque successori, aut utriusque Superiori; delegata convenient inferioribus, qui illam sibi à Superioribus commissum accipiunt. Ratio est clara: quia dispensare est actus jurisdictionis voluntariae, quo tollitur legis obligatio; ergo ordinaria potestas dispensandi competit habentibus jurisdictionem ordinariam; delegata habentibus delegaram.

Linde

7. Unde infero, Superiori in sua lege etiam si ne justa causa cum subditis validè dispensare posse: quia cum valor & efficacia legis pendeat ex voluntate Legislatoris; ideo sicut illam sine justa causa, ut prius dictum, in totum validè auferre, sic pariter restringere, & in illa dispensare potest; atque hoc modo dispensatus sua dispensatione licet ut poterit, nisi forte per accidentem inde scandalum, vel dampnum tertii sequatur, cuius causam vitare tenetur. Ita Suar. I. 6. c. 19. Layman, aliisque. Ipsa tamen dispensatio, tanquam imprudenter, & absque boni publici consideratione facta, non carceris peccato, & quidem ex genere suo lethali, nisi per materia parvitate excusat; siquidem intra suam speciem admittit materia gravitatem, seu grave dampnum boni communis ad lethale peccatum sufficiens, Ita Reding. q. 17. a. 2. controv. 3. n. 6. citans Covarruv. & Rodriq.
8. At si Judge delegatus & inferior sine expressa vel tacita licentia Superioris sine causa dispenset in lege Ordinarii & Superioris, in invalidè dispensat. pere, ad Monasterium. q. de statu Monachorum, tunc enim delegatus excedit limites sua potestatis, cum Ordinarius non presumatur ipsi deinde potestatem dispensandi nisi sub conditione justa causa: Inferior quoque Judge præcisæ omni Superioris licentiâ nihil potest in lege Superioris.
9. Dantur nihilominus variae causæ, propter quas Prelatus inferior in lege superioris ex tacita vel expressa concessione dispensare potest. Ita dispensant primò Episcopi in irregularitatibus occulitis, excepta bigamia & homicidio voluntario, per concessionem Trid. Sess. 24. c. 6. Secundò in negotiis exigui ponderis & momenti & qua frequenter occurrit solent, ut dispensatio in jejuniu, festo, &c. Ita Haunold. hic. c. 6. controv. 1. Palao, Gonet, Salmantic. & DD. communiter. Tertio in dubio an casus indiget dispensatione Superioris. Quartò dum urget dispensandi necessitas, & nimis difficultas est recursum ad Superiori, &c. tunc enim per episcopum tacite & virtualiter est concessa facultas dispensandi, qua etiam aliebi per consequendum potest esse præscripta.
10. Hac porro potestis dispensandi in legibus Superioris de jure tacite, vel expressæ, sive conseruandine Prelatis inferioribus concessa, non est delegata, sed ordinaria. Suar. I. 6. c. 15. Sanch. I. 2. de matrim. disp. 40. n. 4. quia nimurum est annexa dignitati & officio, ideoque & transit in successores, & aliis delegari potest.
11. Colliges primò Episcopum posse dispensare in irregularitate cum corpore vitiatæ, si defectus non sit valde magnus, ut inde scandalum timeri possit. Ita Haunold. cit. n. 312. Secundò in votis non reservatis. Vota porro reservata Summo Pontifici recensentur: Votum Religionis, perpetua castitatis, peregrinationis in terram sanctam, ad limina Apostolorum, & ad D. Jacobum Compostellam. Ita Magnif. D. Perschacher, q. 7. §. 4. qui ulterius obseruat ex Suarez, Haunoldo, Palao, votum Religionis esse summo
- Pontifici reservatum quoad genus, non quoad speciem: Unde potest Episcopus dispensare, ut vovens ingredi Religionem strictiorem, ingrediatur laxiorem. Tertiò in irregularitatibus & suspensionibus ex occulto delicto provenientibus [exceptis, qua oriuntur ex homicidio voluntario, causisque ad forum contentiosum deductis] aliquis quebusque casibus occultis, ex Trid. Sess. 24. c. 6. de Reform.
- Potest non tantum Prelatus Superiori indirec[t]e secum dispensare modo prædicto sup. §. n. 5. sed etiam inferior [nisi à superiori prohibetur] quando accepit potestatem dispensandi pro tota communitate; qua tamen dispensatio non est a[ctu] jurisdictionis, respectu sui ipsius, sed simplex exceptio a lege facta in virtute Prelati Superioris, qui cum dat inferiori expressam vel tacitam facultatem cum subditis dispensandi, hoc ipso non vult inferiorem Prelatum esse deterioris conditionis: neque illum vult diutius obligatum lege, nisi quamdiu ipse se non voluerit esse exemplum.
- Præterea, suppositis fundamentis superioris, doctrina, loci Ordinarius potest dispensare cum vagis, siquidem ipsi per presentanem habitacionem non tantum conscientia, sed etiam externum fortuitur; non item cum forensibus & peregrinis alibi habentibus domicilium, prout declaravit S. Congregatio Concil. Trid. Sess. 24. c. 6. n. 4. & f. & refertur apud Garziam de benefic. p. 2. c. 10. n. 139. dicentem, forenses & peregrinos posse absoluи ab Ordinario loci, quæ transiunt, non autem dispensari. Et quidem licet majori parte anni ibidem commorari decreverint; tamen Ordinarium non posse cum forensibus dispensare in votis v. g., & juramentis, exinde videtur evinci, quia nec potest illos Ordinare absque licentia proprii sui Ordinarii ex c. c. nullus de temp. Ord. in 6. Ita Reding. l. c. controv. 2. n. 6.
- Et hæc quidem theoretæ vera. Pro praxi tandem observandum primò, Superiori loci cum forensibus diuturno tempore commorantibus posse dispensare in legibus sui territorii: nam qui potestatem habet ligandi, etiam habet potestatem solvendi: sed ex dictis Superiori territorii potest ligare suis legibus advenas ad longum tempus commorantes; ergo etiam per dispensationem potest solvere à vinculo suarum legum.
- Secundò videtur consuetudine introductum, ut Ordinarius loci dispensare possit cum avenis five permanenter, five transeunter in territorio commorantibus in legibus communibus, seu Pontificis. Ita quippe testatur hodierna praxis, quæ cum jejuniu & festorum observantia dispensatur cum mercatoribus solum transeunter in nudinis commorantibus. Et videtur ejusmodi potestas esse concessa Superiori loci à supremo Principe, ut suum territorium debito modo possit gubernare, ut docet Haunold. cit. n. 316. Et cit. P. Perschacher, §. 6. Plura de his recurrent infra de privilegiis, quæ cum persape legi communiter derogant, ita de ipsis quoque questiones scitu dignas & necessarias subiectimus.